OFFICIUM
S. CASTRENSIS

EPISCOPI, ET CONFESSORIS,

Primi, et principalis Patroni Metropolitanae Montisrealis, ejusque Dioecesis, et Titularis Ecclesiae Matricis, et Protectoris Terrae Marani Neapolitanae Dioecesis;

Duplex primae Classis cum Octava recitandum a Clero dictae Terrae Marani tantum.
Sub die 11. Februarii prout in dicta Ecclesia Metropolitana Montisrealis.
Ex Decreto Sacrorum rituum Congregationis.
Sub die 18. mensis Junii 1695.

Instantibus admodum R. R. D. Agnello Scaya Rectore Ecclesiae Matricis, et D. Agnello Jordano Curato Spiritus Sancti Terrae Marani.

NEAPOLI (Ex Typographia de Dominicis)(1817.

Superiorum Permissu.

PRO

ORDINANDO OFFICIO INFRA OCTAVAM

S. CASTRENSIS

INSPICIENDA SUNT SEQUENTIA.

Si festum S. Castrensis Episcopi, et Conf. venerit in feria quarta cinerum tranfertur in sequentem diem; si vero venerit in Dominica privilegiata septuagesimae, sexagesimae, et quinquagesimae; tunc fit de festo S. Castrensis cum comm. dictae Dominicae, et die octavo S. Castrensis; recitabis vesperas cum psalmis Sabatì, a cap. de Dominica, et in fine addes commemorationem diei octavae S. Castrensis ut in primis vesperis: ita, petente Merati decreto S.R.C. 9. Novembris 1622.

Quare sola commemoratione contenti de die octavae, tam in primis vesperis, quam in laudibus, et secundis vesperis, omississque praecibus ad Primam, et Completorium, et suffragiis communi-

*

bus, decreverant Eminentissimi, et Sapientissimi Patres in gratiam diei octavae, et Dominicae privilegiatae, quibus obsequendum est, *Merati tom.* 2. *fol.* 67. *num.* 13.

Infra octavam S. Castrensis de duplicibus etiam translatis dicitur officium, de semiduplicibus autem non dicitur nisi fuerint currentia, neque dicitur de semiduplicibus concessis semel in mense, vel hebdomada.

Dominica infra octavam fit de ea, missa dicitur sine gloria, secunda oratio octavae tantum, nisi occurrat aliqua commemoratio, Praefatio Trinitatis.

Infra octavam Missa dicitur ut in die festo cum gloria, et credo, secunda oratio *Concede* tertia oratio Ecclesiae, vel pro Papa, nisi occurrat aliqua commemoratio S. Simplicis, quia tunc tertia oratio erit, *Concede*.

DIE XI. FEBRUARII.

In festo S. Castrensis Episcopi, et Confessoris Titularis Matricis Ecclesiae Terrae Marani. Duplex primae Classis. Omnia de com. Conf. et Pont.

praeter ea quae hic sunt propria.

Oratio. *Da quaesumus, ut in Com.*

In primo Nocturno.

Lect. Fidelis sermo; ut in eod. Com.

In secundo Nocturno Lectio iv.

Castrensis, Episcopus in partibus Africae, fuit tempore persecutionis Vandalicae, quo tempore multi Christiani comprehensi sunt, quibus illata sunt diversa tormentorum genera, ut fidem catholicam negarent, videntes autem impii satellites, quod nec blanditiis delinire, nec tormentis eos possent superare, nacti vetustissimam navem Sanctos Dei (in quibus unus erat idem Beatus Castrensis) in eam imposuerunt; quam ut eos pelagus facilius absorberet, armamentis omnibus, et remigum auxilio spoliatur, at omnipotens Deus, cui est in mari via, et semitae in aquis multis, mutato ordine, eorum versutiam in Sanctorum gloriam mirabiliter convertit; illi etenim Domino dirigente, incolumnes ad Campaniae litora pervenerunt. ℟. Inveni David servum meum oleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxi-

liabilitur ei. ℣. Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non nocebit ei. Manus enim.

Lectio v.

Erant autem cum Castrense Priscus, Tammarus, Rosius, Heraclius, Secundinus, Adjutor, Marcus, Augustus, Elpidius, Canion, et Vindonius; qui omnes Angelo deducente, ad loca propria, quae illis Christus pro salutè credentium, destinaverat, perrexerunt; in quibus dispersi, diversisque Ecclesiis praefecti, Christianam disciplinam mirificé propagarunt. Sanctus autem Castrensis humanas opes, et fastus despiciens, in suburbano cujusdam Urbis humilem cellulam incoluit. Sed qui humiles exaltat, et corda semper ubique conspicit, et qui nec Civitatem super montem, nec lumen sub modio abscondi permittit ab illis finibus a quibus expulsus fuerat, ejus nomen praedicari digné constituit. ℟. Posui adjutorium super potentem, et exaltavi electum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliabitur ei. ℣. Inveni David servum

meum, oleo Sancto meo unxi eum. Manus enim.

Lectio vj.

Ex quo enim spiritu superbiae percitus, homo crudelis, et impius, nomine Adamantius, dederat consilium, ut Sancti Cariosae navi imponerentur, quo mergerentur in profundum mare, ità graviter repenté oppressus, et contractus est, ut veluti gibbosus terram spectare, divino judicio, cogeretur: quam paenam tandiu sustinuit, donec, Angelo monente, Gampano in littore Castrensem benignum antistitem convenit, cujus accepta benedictione, ab humo sanus erigitur; ejusque absens conjux pariter incolumis ab alia infirmitate efficitur; et multa alia edidit miracula. Migravit autem beatissimus Castrensis ab hoc saeculo, tertio idus Februarii. Ejusdem Sacrum Corpus Montemregalem traslatum in Metropolitana, sub altare Cappellae magnifici operis, ad illius memoriam constructae honorificé conditum, summa veneratione colitur.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtutes operatus est, et omnis terra

doctrina ejus repleta est, * ipse intercedat pro peccatis omnium populorum. ℣. Iste est qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad Coelestia regna. Ipse intercedat. Gloria Patri. Ipse intercedat.

In tertio Nocturno.

Homilia super Evangelium.

Homo peregré proficiscens. De Communi Confessoris Pontificis.

Si hoc festum venerit in Quadragesima, nona Lectio legitur de homilia feriae occurrentis, ac de ea fit commemoratio, etiam in Missa, et in fine legitur Evangelium feriae.

Missa. Statuit ei Dominus, de Com. Conf. Pont.

DIE XII. FEBRUARII.

Secunda die infra Oct. S. Castrensis Conf. Pont.

In primo Nocturno lect. de scr. occ.

In secundo Nocturno.

Sermo S. Ambrosii Episcopi.

De S. Euseb. 70. 6. ad Rom.

Lectio iv.

Depositionem Sancti Castrensis hodie Celebramus: quid est depositio? non

illa utique, quae sepeliendis in terra membrorum reliquiis. Clericorum manibus procuratur: sed illa, qua homo vinculis carnalibus absolutus, liber iturus ad Coelum terrenum corpus exponit. Ipsa planè est depositio, in qua concupiscere abijcimus, cessamus delinquere, peccare desinimus, et totum quidquid saluti est grave, quasi abjecta sarcina oneris exponimus, nam ideò haec dies pro celebritate maxima procuratur, quia verè est summa festivitas mortuum esse vitiis soli vigere justitiae.

℟. Inveni David servum meum, oleo Sancto meo unxi eum. * Manus enim mea auxiliabitur ei. ℣. Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non nocebit ei. Manus enim.

Lectio v.

Unde, et depositionis ipsa dies Natalis dicitur, quod delictorum carcere liberati, libertati nascimur salvatoris; sed videamus Sanctus Castrensis, cum qua gloria ad hanc diem depositionis advenerit, volare non potest, nisi quod, purum, leve, atque subtile est, cujus

nec sinceritas intemperantia retardatur, nec alacritas nec velocitas mole gravatur: gravari autem volatum dico, non tam mole membrorum, quam pondere delictorum, unde puto etiam in ipsis avibus, ideò velocius columbam pené prae omnibus volitare, quod alacritatem, et innocentiam comitetur.

℟. Posui adjutorium super potentem, et exaltavi electum de plebe mea: * manus enim mea auxiliabitur ei.

℣. Inveni David servum meum oleo Sancto meo unxi eum. Manus enim.

Lectio vj.

Denique sanctus David, cum puritate mentis volare concupisceret, non alterius animantis, nisi columbae optavit alas dicens: Quis dabit mihi pennas sicut columbae, et volabo, et requiesam? intelligebat enim quod altiora facilius penetrantur simplicitate mentis, quam levitate pennarum. Volavit ergo hac die Sanctus Castrensis festinemus: jam ejus innocentiam de volatu, et puritatem ejus de ipsa elatione judicemus: tamquam columba enim in do-

nis Dei degens assumpsit spiritales pennas requievit in monte.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtutes operatus est, et omnis terra doctrina ejus repleta est. * Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum.

℣. Iste est qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad coelestia regna. Ipse intercedat. Gloria Patri. Ipse intercedat.

In tertio Nocturno.

Lectio vij.

Lectio S. Evangelii secundum Matth.

In illo tempore: dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Homo peregrè proficiscens vocavit servos suos, et tradidit illis bona sua. Et reliqua.

De Homilia S. Gregorii Pp.

Sciendum vero est, quod nullus piger ab hac talenti acceptione securus est. Nullus namque est, qui veraciter dicat: talentum minimé accepi, non est unde rationes ponere cogar. Talenti enim nomine cuilibet pauperi etiam hoc ipsum reputabitur, quod vel nimium

accepit. Alius namque accepit intelligentiam, praedicationis ministerium debet ex talento. Alius terrenam substantiam accepit, erogationem talenti debet ex rebus. Alius didicit artem, qua pascitur, ipsa ars ei in talenti acceptione reputatur. Alius familiaritatis locum apud divitem meruit, talentum profectò familiaritatis accepit. Si ergo nihil ei prò indigentibus loquitur, prò talenti retentione damnatur.

℟. Amavit eum Dominus, et ornavit eum: stolam gloriae induit eum. * Et ad portas Paradisi coronavit eum.

℣. Induit eum Dominus loricam fidei, et ornavit eum. Et ad portas.

Lectio viij.

Talentum quippè ab unoquoque nostrum venturus Judex exigit, quantum dedit. Ut ergo de talenti sui rationibus, redeunte Domino, quisque securus sit, cum tremore penset quotidie quid accepit. Ecce namque jam juxtà est, ut ille, qui peregré profectus est, redeat, quasi quippé peregré abiit, qui scilicet de hac terra, in qua natus est,

longè discessit, sed profectò revertitur, ut de Talentis rationes ponat: quia si a bona actione torpescimus de ipsis donis, quae contulit, nos, districtius judicat. ℟. Sint lumbi vestri praecincti, et lucernae ardentes in manibus vestris: * Et vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando revertatur a nuptiis. ℣. Vigilate ergo quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit: Et vos similes. Gloria Patri. Et vos similes.

Lectio ix.

Consideremus ergo quae accepimus, atque in eorum erogatione vigilemus. Nulla nos a spiritali opere terrena cura impediat, ne si in terra talentum absconditur, talenti Dominus ad iracundiam provocetur. Piger etenim servus, cum jam culpas judex examinat, talentum de terra levat, quia sunt plerique, qui tunc se a terrenis desideriis, vel operibus subtrahunt, quando jam per animadversionem judicis ad aeternum supplicium trahuntur. Antè ergo de talenti nostri ponenda ratione vigilemus, ut cum jam judex ad feriendum imminet,

lucrum nos, quòd fecimus excuset.
Te Deum laudamus.

DIE XIII. FEBRUARII.

Tertia die infra octavam. Lectiones j. Nocturni de scriptura occurrente.

In ij. Nocturno.

Lectio iv.

Sermo S. Gregori Nysseni.

In funt. mag. melet.

Cum primum benè morata, ac modesta Ecclesia Beatum Castrensem vidit, vidit faciem ad imaginem Dei verè formatam: vidit dilectionem fontis modo scaturientem; vidit gratiam labiis circumfusam animi demissionis summum gradum, post quem amplius quicquam cogitari non potest. Vidit mansuetudinem, atque clementiam, qualis in Davide fuit: qualis in Salomone intelligentiam, atque prudentiam: qualis in Moyse bonitatem: qualis in Samuele perfectionem: qualis in Josepho, continentiam, pudicitiamque: qualis in Daniele, sapientiam: quemadmodum Magnus Elias, zelo fidei praeditum: sicut sublimis Joannes integritate cor-

poris ornatum : sicuti Paulus inexuperabili praeditum dilectione : vidit tot bonorum circa unam animam concursum : amore beato vulnerata est, casto, bonoque sponsum suum amore, atque benevolentia prosecuta dilexit.

℟. Inveni David servuum meum oleo sancto meo unxi eum. * Manus enim mea auxiliabitur ei. ℣. Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non nocebit ei. Manus enim.

Lectio v.

Sed priusquam cupiditatem expleret, antequam desiderium recrearet, atque sedaret, amoris vi fervens, tentationibus athletam ad certamina vocantibus sola relicta est, atque ille quidem in certaminibus pro pietate susceptis desudabat; haec verò durabat in castitate matrimonium conservans non ablatus est a nobis sponsus in medio nostrum stat, etiam si nos non videamus, in adytis, ac penetralibus Sacerdos est: in interioribus veni, quo praecursor pro nobis ingressus est Christus, reliquit carnis tegumentum: non amplius signo, et umbrae coelestium

servit, sed in ipsam rerum imaginem intuetur: non amplius per speculum, atque, per transennam, et aenigma: sed ipsa facie cum facie collata intercedit apud Deum.

℟. Posui adjutorium super potentem, et exaltavi electum de plebe mea: * manus enim mea auxiliabitur ei. ℣. Inveni David servum meum oleo sancto meo unxi eum. Manus enim.

Lectio vj.

Intercedit autem pro nobis, et populis erratis: deposuit tunicas pelliceas; neque enim talibus tunicis opus habent, qui in paradiso degunt: Sed habet indumenta, quae puritate vitae suae contexuit, iisque sese exornavit. Honorata, ac praetiosa coram Domino talis viri mors est: immo verò non mors, sed ruptura membrorum est. Dirupisti enim, inquit, vincula mea: dimissus est Simon, liberatus est a vinculis corporis: laqueus contritus est, et avicula avolavit: ingressus est terram promissionis: in monte cum Deo philosophatur: solvit animae calceamentum, ut pura planta mentis

terram sanctam ubi conspicitur Deus condescenderet.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtutes operatus est, et omnis terra doctrina ejus repleta est: * Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum. ℣. Iste est qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad caelestia regna. Ipse intercedat.

In Tertio Nocturno.

Lectio vij.

Lectio S. Evangelii secundum Matth.

In illo tempore: dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Homo peregrè proficiscens vocavit servos suos, et tradidit illis bona sua. Et reliqua.

Homilia S. Joannis Chrysostomi.

Ex hom. 79. in Matth.

Talenta hic pro eo, quod unusquisque facere potest accipimus, sive auctoritate protegere, sive pecuniis juvare, sive doctrina admonere, sive alia quapiam te proximis prodesse queas. Nemo secum dicat: cum unum talentum habeam, nihil possum efficere: potest profectò ex ea una re sola comprobari,

Non es pauperior illa vidua: non es Petro, atque Joanne rusticior: qui quamvis rudes simul, atque illiterati fuerunt, quoniam magno studio communem utilitatem complexi fuerant, cœlorum principes facti sunt.

℟. Amavit eum Dominus, et ornavit eum: stolam gloriae induit eum; * Et ad portas paradisi coronavit eum. ℣. Induit eum Dominus loricam fidei, et ornavit eum. Et ad portas.

Lectio viij.

Quippe nulla res Deo gratior est quam, ut universam vitam ad commune commodum conferas: idcircò ratione, atque oratione nos Deus decoravit, mentem et ingenium concessit, manus pedes, vires corporis dedit, ut his omnibus, et nos ipsos, et proximos tutemur. Non enim ad agendas gratias solummodò confert oratio, verum etiam ad docendum, et admonendum perutilis est; qua in re si ea diligenter utemur, Dominum; sin verò in contrariis diabolum imitabimur.

℟. Sint lumbi vestri praecincti, et

lucernae ardentes in manibus vestris: * Et vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando revertatur a nuptiis. ℣. Vigilate ergo quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit. Et vos. Gloria Patri. Et vos.

Lectio ix.

Nam, et Petrus quando quidem Christum confitebatur, quasi ea dicens quae patris sunt, beatificabatur: quod autem crucem horrebat, atque repellebat, quasi ea, quae diaboli sunt sapiens acriter increpabatur: Si ergo ignoratione Crucem recusando reprehensus est, quam nos spontè peccantes veniam impetrabimus? Ea ergo loquamur, quae Christi verba esse confestim cognoscantur. Te Deum laudamus etc.

In ij. vesperis et Laud. fit. comm. Sancti Valentini m.

DIE XIV. FEBRUARII.

Quarta die infra octavam.

In j. Noctur. Lectiones de scriptura occurr.

In Secundo Nocturno.

*

Lectio iv.

Sermo S. Joannis Chrysostomi.

In c. 15. Epist. ad Rom. serm. 29. circa fin.

Christum diligens, et gregem illius utique diligit: et Moysen tum primum super populum Judaeorum posuit, quando, qua esset in illum benevolentia re ipsa jam declaraverat. David quoque simili modo regno inauguratus est, posteaquam apparuerat, quam amico esset in populum affectu: ita quippè invenis adhuc populi causa doluit, ac zelavit, ut et animam suam exponeret, cum videlicet barbarum illum é medio tollebat. Quod vero dicebat: quid dabitur ei, qui alienigenam hunc interfecerit? non ideo dicebat, quod mercedem exigeret, sed quo sibi crederetur, et in pugnam cum illo committeretur: nam cum adepta tam victoria ad Regem esset ingressus nihil de mercede meminit.

℟. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliabitur ei. ℣. Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non nocebit ei. Manus enim.

Lectio v.

Et Samuel quoque benignus erat, et amator populi: unde, et dicebat: absit autem hoc a me peccatum, ut cessem pro vobis orare Dominum. Ita et Paulus imò non ità, sed multo plus omnibus ardebat erga subditos: unde et discipulos ita erga se animavit, ut diceret: si possibile fuisset, oculos vestros eruissetis mihique, dedissetis. Et Christus optimi Pastoris regulam proferens dixit: Bonus Pastor animam suam ponit pro ovibus; sunt enim sanctorum animae vehementer mites, et hominum amantes, non solum erga domesticos, sed alienos, itaut hanc suam mansuetudinem etiam ad animantia bruta extendant. Propterea et sapiens quispiam dixit. Justus miseretur animarum jumentorum suorum: si jumentorum multo magis hominum.

℟. Posui adjutorium super potentem, et exaltavi electum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliabitur ei. ℣. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. Manus enim.

Lectio vj.

Verum quoniam pecorum mentionem feci perpendamus, et ovium pastores illos, qui in Cappadocum regione sunt qualis, et quanta pro pecorum suorum custodia patiantur: illi sepè numero universum triduum nive obruti perdurant; Dicuntur autem, et qui in lybia sunt non minora mala ferre, dum integros menses difficilem illam solitudinem, pessimarumq., bestiarum plenam vegando circumeunt. Si tantum erga pecora diligentiae impendunt pastores illi, quam quaeso excusationem habebimus, quibus rationales animae concreditae sunt, quod profundum hunc somnum dormimus? an ignoras gregis hujus dignitatem? an illius gratia Dominus tuus innumera non fecit! an non postremo, et sanguinem suum fudit! tu vero requiem quaeris, et quid poterit pejus esse pastoribus istis.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtutes operatus est, et omnis terra doctrina ejus repleta est: * Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum.
℣. Iste est qui contempsit vitam mun-

di, et pervenit ad Coelestia Regna, ipse intercedat. Gloria Patri. Ipse intercedat.

In tertio Nocturno.

Lectio vij.

Lectio S. Evangelii secundum Matth.

In illo tempore; dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Homo peregrè proficiscens vocavit servos suos, et tradidit illis bona sua, et Reliqua.

Homilia S. Hieronymi Presbyteri lib. 4. in Matth. c. 25.

Lectio vij.

Homo iste Paterfamilias haud dubium, quia Christus sit: qui ad Patrem post resurrectionem victor ascendens, vocatis Apostolis, doctrinam Evangelicam tradidit non pro largitate, et parcitate alteri plus, alteri minus tribuens, sed pro accipientium viribus, quomodo et Apostolus eos, qui solidum cibum capere non poterant, lacte potasse se dicit. ℣. Amavit eum Dominus, et ornavit eum, stolam gloriae induit eum; * et ad portas paradisi coronavit eum. ℣. Induit eum Dominus loricam fidei, et ornavit eum. Et ad portas.

Lectio viij.

Denique, et illum, qui de quinque talentis decem fecerat, qui de duobus, quatuor, simili recepit gaudio: non considerans lucri magnitudinem, sed studii voluntatem. In quinque, et duobus, et uno talento vel diversos gratias intelligamus, quae unicuique tradita sunt. Vel in primo, omnes sensus examinatos; in secundo intelligentiam, et opera; in tertio rationem, qua homines a bestiis separamur.

℟. Sint lumbi vestri praecincti, et lucernae ardentes in manibus vestris. * Et vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando revertatur a nuptiis. ℣. Vigilate ergo quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit. Et vos. Gloria Patri. Et vos.

Lectio ix.

Acceptis ille terrenis sensibus, coelestium sibi notitiam duplicavit, ex creaturis intelligens Creatorem, ex corporalibus incorporalia, ex visibilibus invisibilia, ex brevibus aeterna. Et iste pro viribus quidquid in lege didicerat, in

Evangelio duplicavit; sive scientiam, et opera praesentis vitae futurae beatitudinis typos intellexit.

In 2. vesp. et Laud. comm. Ss. Faustini, et Jovitae Mm.

Hac die officium est recitandum ut habetur in libello, et non aliter, quoniam deest Romani Pontificis concessio; neque contra Rubricam datur praescriptio. Ita . . . . P. Valle. Merati.

DIE XV. FEBRUARII.

Quinta die infra octava. In j. Noct. lectiones de scriptura occurrente.

In ij. Nocturno.

Lectio iv.

De Sermone S. Joannis Chrysostomi.

Et homines quidem, qui populi praesunt, si quando, de rebus fortuitis consultaturi sunt diebus non contenti, noctes etiam vigilando adhibent: non verò, qui pro ipso Coelo certamen habemus, ipso quoque die dormimus: quis quaeso ab eo nos supplicio eripiet, quod istis debetur? si enim corpus trucidan-

dum exponere, si innumeras mortes ferre oportebat, numquid ad hoc munus, tanquam ad nundinas currendum erat? Haec autem non solum pastores, sed et oves audiant, ut alacriores faciant pastores, aliud quidem nihil, verum omnem obedientiam animumque cui persuaderi queat exhibentes.

℟. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: *. Manus enim mea auxiliabitur ei.

℣. Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non nocebit ei. Manus enim.

Lectio v.

Ita Paulus praecepit, dicens, obedire ducibus vestris, et subditi estote, nam ipsi vigilant pro animabus vestris, tamquam rationem daturi. Quando vero dicit: nam ipsi vigilant; innumeros labores, curas, et pericula complectitur. Bonus enim pastor, et talis, qualem Christus vult, innumeris certat martyriis. Propter ipsum quippe Christus semel quidem est mortuus, hic vero millies propter gregem, si quidem talis sit

grex, qualem esse oportet. Talis enim pastor singulis diebus mori potest. Propterea, et vos, cognito isto labore, et precibus, et diligentia, et animi alacritate, et dilectione nos juvate, et nos vestra, et vos vicissim nostra gloriatio sitis.

℟. Posui adjutorium super potentem, et exaltavi electum de plebe mea: * manus enim mea auxiliabiliter ei.

℣. Inveni David servum meum oleo sancto meo unxi eum. Manus enim.

Lectio vj.

Nam ideò Christus istud Apostolorum summo, et plus ipsum, quam reliqui diligenti commendans, et injungens primum rogabat, an ab ipso diligeretur, ut discas, quod istud fit ante omnia reliqua dilectionis in Christum positum signum: strenuo si quidem animo hic opus est. Haec vero mihi de optimis pastoribus dicuntur, non de me ipso, et me ipso, at mei similibus. Sed si quis sit, qualis erat Paulus, quali Petrus, quali Castrensis, istos itaque imitemur, et superiores, et subditi: licet enim, et subdito pro parte, pastorem agere, nem-

pe, domus suae, amicorum, domesticorum, uxoris, liberorum.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtutes operatus est, et omnis terra doctrina ejus repleta populorum. ℣. Ist eest qui contempsit vitam mundi. Gloria Patri. Ipse intercedat.

In tertio Nocturno.

Lectio vij.

Lectio S. Evangelii secundum Matth.

In illo tempore: dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Homo peregrè proficiscens vocavit servos suos, et tradidit illis bona sua; et reliqua.

Homilia S. Hilarii Episcopi. Cap. 27.

Divisio pecuniae inaequalis est, sed non ad dividentem referenda diversitas est. Ait enim unumquemque secundum virtutem suam accepisse. Igitur unusquisque secundum fidei suae mensuram talentum, idest, Evangelii praedicationem a praedicante suscepit, sed servus ille, qui quinque talenta accepit, po-

pulus ex lege credentium est; ex qua profectus meritum ipsius recte probeque perfunctus evangelicae fidei operatione duplicavit, in ratione autem ponenda judicii examen est, quo Coelestis verbi usus, et redditus dispensati talenti postulatur.

℟. Amavit eum Dominus, et ornavit eum: stolam gloriae induit eum, * et ad portas Paradisi coronavit eum.

℣. Induit eum Dominus loricam fidei, et ornavit eum. Et ad portas.

Lectio viij.

Igitur, cui erant quinque commissa, Domino reverso, de quinque decem obtulit, talis scilicet in fide repertus, qualis in lege: qui decem verborum quinque libris Moysi praeceptorum obedientiam per gratiam Evangelicae justificationis expleverit. Igitur jubetur in gaudium Domini introire, idest, in honorem gloriae Christi recipitur, ille vero servus cui duo talenta commissa sunt gentium populus est fide, atque confessione, et filii justificatus, et Patris: Dominum nostrum Jesum Christum

Deum, atque hominem; et spiritu, et carne confessus: nam, et corde fides, et ore confessio est. Haec ergo huic sunt duo talenta commissa.

℟. Sint lumbi vestri praecincti, et lucernae ardentes in manibus vestris: * Et vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando revertatur a nuptiis.

℣. Vigilate ergo quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit. Et vos similes.

Lectio ix.

De Ss. Martyribus Faustino, et Jovita.

DIE XVI. FEBRUARII.

Sexta die infra Octavam, lectiones 1. *noct. de scriptura occurrente.*

In secundo Nocturno.

Tres Lectiones Sancti Maximi.

Ad Sancti, ac Beatissimi Patris etc. *ut in Breviario de comm. Conf. Pont.*

In tertio Nocturno.

Lectio vij.

Lectio S. Evangelii secundum Matth.

In illo tempore: dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Homo pere-

grè proficiscens vocavit servos suos, et tradidit illis bona sua, et reliqua.

Homilia Sancti Joannis Chrysostomi in Gen. c. 13. hom. 41.

Nobis non satis est, quod extra damnum sumus, et quod nostrum est implemus; sed volumus, ut vos ex dinumeratis pecuniis multum negotiemini, ut ne obnoxii fiatis supplicio, quod luit ille, qui talentum recondidit, et dominicam pecuniam, non solum non multiplicavit, sed, et ipsam in terra defodit: tales enim sunt, qui sermones audiunt; talentum enim hoc vocat, et pecuniam; neque operam dant, ut fructum afferant.

℟. Amavit eum Dominus, et ornavit eum: stolam gloriae induit eum; * et ad portas Paradisi coronavit eum.

℣. Induit eum Dominus loricam fidei, et ornavit eum. Et ad portas.

Lectio viij.

Sed forté dixerit quispiam, parabolam istam talentorum de doctoribus es-

se dictam: nec ego hoc nego; verum si diligenter eam intueamini, scietis, quod doctores quidem debent dinumerare pecuniam; sed vos non solum eam servare, sed et similiter negotiari debetis: et quare ille, qui duo attulit talenta quinque attulerat? Merito augmentationem enim et imminutionem, non vel hujus diligentia, vel illius negligentia fecit, sed concreditorum quantitas: nam quod ad diligentiam attinet, ambo pares fuerunt, proinde et eamdem dignitatem assecuti sunt.

℟. Sint lumbi vestri praecincti, et lucernae ardentes in manibus vestris. * Et vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando revertatur a nuptiis.

℣. Vigilate ergo quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit. Et vos similes. Gloria Patri; et vos similes.

Lectio ix.

Verum alius ille nihil tale fecerat, sed quid? accessit dicens: Cognovi te, quod austerus homo sis metens ubi,

non seminas, et congregans ubi non spargis: et veritus abii, et occultavi talentum in terra. O nequitiam servi: o insignem ignaviam! nam non solum justa contempsit; et nihil negotiatus est talento sibi concredito, sed et pro lucro accusationem attulit: ita enim solet malitia; obtenebrat rationem, et cum qui semel a via aberravit, per abrupta praecipitem dat:

Te Deum laudamus, etc.

DIE XVII. FEBRUARII.

Septima die infra octavam. Lect. i. nocturni de scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Tres Lectiones, Sermonis S. Maximi.

Beati Patris N. etc. *ut in Breviario in hoc eodem Com.*

In tertio Nocturno.

Lectio vij.

Lectio S. Evangelii secundum Matth.

In illo tempore: dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Homo peregre

proficiscens vocavit servos suos, et tradidit illis bona sua. Et reliqua.

De Homilia S. Joannis Chrysostomi.

Haec autem omnia de magistris dicta sunt, ut talenta sibi concredita non abscondant, sed omni diligentia discere cupientibus apponant: verum ultra audi dilecte, ex indignatione erga illum, quomodo, et discipuli rei sunt: et non solum illa repetuntur, quae concredita, sed et cum lucro operatio quaeritur: quid igitur dicit illi Dominus? Serve nequam, terribilis indignatio, et minae valentes per se percellere animum. Oportebat te pecuniam tuam dinumerare mensariis, et ego cum venissem, cum lucro repetissem illam. Pecuniam dicens, eloquia pretiosa: nummularios autem vos qui suscipitis.

℟. Amavit eum Dominus, et ornavit eum: stolam gloriae induit eum. * Et ad portas Paradisi coronavit eum.

℣. Induit eum Dominus loricam fidei, et ornavit eum. Et ad portas.

Lectio viij.

Quo circa dilecti, cum vobis concredita dinumeraverimus, vobis necessarium erit duplicem afferre laborem, et vigilantiam quod dinumerata custodienda sunt, ut fixa maneat, tum quod operandum, ut et aliis communicetur, et multos in viam virtutis inducant: ut bifariam vobis lucrum accrescat, tum pro salute vestra, tum pro aliorum utilitate. Igitur fratres vestros nolite negligere, neque solum spectare, quae ad vos attinent; sed unicuique cura sit, quomodo proximum suum é diaboli faucibus eripiat.

℟. Sint lumbi vestri praecincti, ets lucernae ardentes in manibus vestris: * et vos similes hominibus expectantibus Dominum suum quando revertatur a nuptiis. ℣. Vigilate ergo quia nescitis qua hora Dominus vestrer venturus sit. Et vos similes. Gloria Patri. Et vos similes.

Lectio ix.

Simili modo, et nos erga fratres nostros bene affecti magnam adhibeamus

diligentiam, et obluctemus maligno illi daemoni; ut irritos ejus faciamus conatus; nam si singuli, qui adsunt, unum lucrifacere possent, cogita quantam nobis laetitiam Ecclesia multitudine filiorum suorum afferret, et quomodo diabolus confunderetur, videns in vanum, et frustra extendi sua retia? Quod si hoc feceritis, audietis, et vos in die illo: serve bone, et fidelis, in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam.

Te Deum laudamus, etc.

In 2. vesp. com. S. Simeonis Episc. et m.

DIE XVIII. FEBRUARII.

Oct. S. Castrensis Conf. Pont. Dup. In j. Noct. lect. de Script. Occurr.

In ij. Nocturno.

Lectio iv.

Sermo S. Gregorii Papae.

2. par. past. c. 1.

Tantum debet actionem populi actio transcendere praesulis: quantum distare solet a grege vita pastoris. Oportet namque, ut metire se sollicite studeat, quanta

tenendae rectitudinis necessitate constringitur, sub cujus aestimatione populus grex vocatur. Sit ergo (necesse est) cogitatione mundus, actione praecipuus, discretus in silentio, utilis in verbo, singulis compassione proximus, prae cunctis contemplatione suspensus, bene agentibus per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per zelum justitiae erectus, internorum curam in exteriorum occupatione non minuens, exteriorum providentiam in interiorum sollicitudine non relinquens.

℟. Inveni David servum meum oleo sancto meo unxi eum. * Manus enim mea auxilibitur ei. ℣. Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non nocebit ei. Manus enim.

Lectio v.

Considerandum quoque est, quia cum curam populi electus Praesul suscipit, quasi ad aegrum medicus accedit. Si ergo adhuc in ejus corpore passiones vivunt, qua praesumptione percussum mederi properat, qui in facie vulnus por-

tat? ille igitur modis omnibus debet ad exemplum bene vivendi pertrahi, qui cunctis carnis passionibus moriens, jam spiritualiter vivit; qui prospera mundi postponit: qui nulla adversa pertimescit; quia sola interna desiderat. Cujus intentioni bene congruens... Nec omnino per imbecillitatem corpus; nec valde per contumaciam repugnat Spiritus. Qui ad aliena cupienda non ducitur, sed propria largitur.

℟. Posui adjutorium super potentem, et exaltavi electum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliabitur ei.

℣. Inveni David servum meum oleo sancto meo unxi eum. Manus enim.

Lectio vj.

Unde ipsum quoque Episcopatus officium boni operis expressione definitur, cum dicitur: si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat: ipse ergo sibi testis est, quin Episcopatum non appetit, qui non per hunc, boni operis ministerium, sed honoris gloriam quaerit. Sacrum quippe officium non

solum non diligit omnino, sed nescit, qui ad culmen regiminis anhelans, in occulta meditatione cogitationis, caeterorum subjectione pascitur, laude propria laetatur, ad honorem cor elevat; rerum affluentium abundatia exultat. Mundi ergo lucrum quaeritur, sub ejus honoris specie, quo mundi dextrui lucra debuerant.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtutes operatus est, et omnis terra doctrina ejus repleta est. * Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum.

℣. Iste est qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad Caelestia Regna. Ipse intercedat. Gloria Patri. Ipse intercedat.

In tertio Nocturno.

Lectio vij.

Lectio S. Evangelii secundum Matth.

In illo tempore: dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Homo peregrè proficiscens vocavit servos suos, et tradidit illis bona sua; et reliqua.

Homilia Sancti Ambrosii Episcopi. 2. de voc. gen. c. 2. post medium.

Datur unicuique hic sine merito, unde tendat ad meritum, et datur ante ullo labore, unde quisque mercedem accipiat, secundum laborem, quod ita esse etiam Evangelicae veritati testimonio agnoscitur, ubi per comparationem dicitur, quod homo peregrè proficiscens vocavit servos suos, et tradidit illis substantiam suam, et uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii vero unum, unicuique secundum propriam virtutem, idest, secundum propriam, et naturalem possibilitatem, non autem secundum proprium meritum: quia aliud est posse operari, aliud operari, et aliud est posse habere charitatem, et aliud habere.

℟. Amavit eum Dominus, et ornavit eum: stolam gloriae induit eum; * Et ad portas Paradisi coronavit eum.

℣. Induit eum Dominus loricam fidei, et ornavit eum. Et ad portas.

Lectio viij.

Non itaque omnis reparabilis reparatur, nec omnis sanabilis sanatus est: quia reparabilem, et sanabilem esse, de natura est: reparatum autem, et sanatum esse, de gratia est: denique isti, quibus secundum modulum capacitatis suae, quem in eis distributor substantiae praevidebat, dispar creditus est numerus talentorum: non meriti remunerationem, sed operis accepere materiam.

℟. Sint lumbi vestri praecincti, et lucernae ardentes in manibus vestris: * Et vos similes hominibus expectantibus Dominum suum quando revertatur a nuptiis.

℣. Vigilate ergo quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit. Et vos similes. Gloria Patri. Et vos similes.

Pro Sancto Simeone Episc. et Mart.

Lectio ix.

Simeon, filius Cleophae, post Jacobum proximus Jerosolymis ordinatus Episcopus Trajano Imperatore apud Atticum Consularem est accusatus, quod

Christianus esset, et Christi propinquus. Comprehendabantur enim omnes eo tempore quicumque ex genere David orti essent. Quare multis cruciatus tormentis, eodem passionis genere, quod Salvator noster subierat, afficitur, mirantibus omnibus, quod homo aetate confectus (erat enim centum, et viginti annorum) acerbissimos Crucis dolores fortiter, constanterque pateretur.

Te Deum laudamus, etc.

Et in laudibus fit comm. ejusdem S. Mart.

Dominica occurrens infra octavam fit de ea. In primis vesp. a capitulo ejusdem Dominicae. In 2. vesp. comm. octavae.

Dominica j. post Pentecostes, Translatio Reliquiae S. Castrensis Episcopi, et Conf. Titularis Ecclesiae Matricis Marani, et Tutelaris ejusdem loci. In qua fit festum SS. Trinitatis. In ea, ob magnam devotionem, et concursum Populi fit solemnis commemoratio translationis in Missa, et utrisque Vesperis. Post 2. Vesperas altera processio solemnis, ut in die Festi.

ORATIO TRANSLATIONIS.

Exaudi, quaesumus Domine preces nostras, quas in Beati Castrensis Confessoris tui, atq. Pontificis Translatione deferimus; Et qui tibi dignè meruit famulari, ejus intercedentibus meritis ab omnibus nos absolve peccatis. Per Dominum.

Si hoc festum S. Castrensis Episc. et Confes. venerit in Feria 4. Cinerum, transfertur in sequentem die, et illo anno celebretur sine octava; et si fuerit incepta, abrumpenda est.

Omnia ut supra tum ex libello Ecclesiae Montis Regalis tum ex Octavario Romano deprompta in unum reduxit, atque suis Rubricis concinnè exornavit R. D. Dominicus Scaya Sacrista Ecclesiae Spiritus Sancti ejusdem Terrae Marani.

Renovatum die decima Februarii anno 1817. *Expensis Cleri Marani.*

NEAPOLITANA.

Exponente Sacror. Rituum Congregationi Clero loci Marano Neapolitanae Dioecesis Sanctum Castrensem Episcopum, et Confessorem esse Titularem Ecclesia Parochialis ejusdem loci; Humiliterque supplicante pro extensione officii proprii Santi praedicti, quod in Ecclesia Metropolitana Montis Regalis die XI. Februarii recitatur, Sancta eadem Congregatio ad relationem Eminentissimi, et Reverendissimi Domini Cardinalis Colloredi pro petita extensione rescribendum censuit. Die XVIII. Junii 1695.

A. CARD. CYBO.

Loc. ✠ Sig.

B. Inghirami Sacr. Rit. Congr. Secr.